Olibrius iussit questionariis suis sanctam
virginem in aera suspendi et virgis sub-
tilibus cedi. Beata virgo aspiciens in celum
dixit. In te domine speravi non confundar in eter-
num. neque irrideant me inimici mei. etenim
universi qui sustinent te non con-
fundentur. quia nomen tuum est benedictum in secula
seculorum amen. Iterum oravit beata virgo dicens.
Respice in me et miserere mei domine et
libera me de manibus inimicorum meorum et
carnificum. ne forte perculsa formidet
cor meum. sed mitte mihi de celo rorem sani-
tatis ut mitigentur plage mee et dolor
meus quiescat et tristicia convertatur michi in
gaudium. Ipsa orabat et questionarii ce-
debant virginis corpus tenerum et san-
guis eius tamquam fons purus decurrebat
et preco clamabat. Crede margareta et
bene tibi erit super omnes puellas pro tanta
sanguinis effusione. Omnes illic astantes
amarissime flebant super eam dicentes. O mar-
gareta vere dolemus de te quia videmus
te nudam flagellari et corpus tuum laniari
O qualem decorem perdis propter incredulita-
tem tuam. Prefectus iratus est valde et fes-
tinat te perdere et delere memoriam tuam de terra
Crede in eum et vives. Beata virgo respondit
O mali consiliarii omnes pessimi vos viri
ac mulieres. ite ad opera vestra. mihi deus
adiutor est. O impudici quid putatis. Si
corpus meum exterminatur anima mea cum sanctis
virginibus requiescet. pro talia corporum tormen-
ta anime salute invenitur. Credite vos in deum
(exaudit) meum quia fortis est in virtute. potentes et pe-
tentibus aperit portas paradysi. ego vos non
audio. nec adoro deos vestros surdos et
mutos et cecos et manu hominum factos.
Dixit autem prefecto. Tu facis opera patris tui
sathane. O impudens canis et audax
mihi deus adiutor est. Si in carne mea tibi
data est potestas. animam meam xps eruet de
manu tua. O orribilis leo et abhominabilis
deo confusus a xpo cuius virtus confringit

potentiam tuam. benedictus dominus deus meus in secula seculo-
rum amen. Tunc iratus prefectus iussit eam iterum
in aera suspendi et ferreis hastilibus carnes
eius disrumpi. beata margareta aspiciens in celum
dixit. Tu autem deus meus exurge in adiutorium
mihi. Erue a framea deus animam meam et de manu
canis unicam meam. Conforta me xpe et da mihi
spem vite ut penetret celos oratio mea. Trans-
mitte mihi columbam de celo que veniat mihi in adiuto-
rium. ut immaculatam observem tibi virginitatem meam
et dimicem contra adversarium meum. et faciem ad fa-
ciem videam devictum inimicum meum qui mecum
pugnat. quem illi nocui ignoro. ut iterum eum
ut dem fiduciam omnibus quia nomen tuum est benedictum
in secula seculorum amen. Carnifices vero acres
serviunt et mactabant corpus eius. Ita impius
prefectus cum clamide faciem suam operiebat quia pre
sanguinis effusione non poterat eam respicere
Sic et ceteri faciebant. Prefectus dixit. Quid est
quia non obaudis margareta neque tibimetipsi
misereris. ut carnes tue mactate sunt
in iudicio meo. ergo consenti mihi et adora
deos meos ne male moriaris. Si me non
audieris gladius meus dominabitur carni tue
et ossa tua dispergam et nervos tuos di-
numerabo ante omnes. Beata virgo respondit. Si carni
mee misereor anima mea in interitum vadit sicut
et tua. sed ideo tradidi corpus meum in tor-
mentis ut anima mea coronata sit in celis. Tunc
iratus olibrius iussit eam in carcerem recludi
erat enim hora septima. et reclusit eam in
carcerem tenebrosum. Que dum carcerem intraret
consignavit se signaculo xpi et oravit dicens
Deus qui iudicium decernis sapientie qui contri-
visti omnia secula et in eis habitantes. quem
expavescunt omnes potestates. desperatorum
spes. pater orphanorum et iudex verus ce-
lum de lumine respice in me quia unica sum
parentis filia et ipse me dereliquit. ne derelinquas
me domine deus meus. Aspice in me et mi-
serere mei et precipe ut videam inimicum
meum qui mecum pugnat et loquar cum eo
facie ad faciem quem illi nocui ignoro